

pore q. D. Belle Regis, qui easdem villas ipsis progenitoribus eorum, uti idem Blasco ait, donasset et contulisset, extitissent forentque, et ipse Blasco nec non Marinus, Andreas et Petrus filii predicti q. Nicolai pacifice de presenti etc.

(*Et infra:*)

Nihilominus pro premissis eorum fidelitatibus et servitiis solutionem seu collectam Mardurinarum, de premissis possessionibus nobis et fisco nostro Regio pervenire debentem, eisdem Blasconi et filiis q. Nicolai ipsorum heredibus donando et perpetuo approbando premissa nostra Regia auctoritate remittimus et relaxamus, presentium nostrorum testimonio litterarum; quas dum nobis fuerint representate, in forma nostri Privilegii redigi faciemus. Datum in Pachech feria secunda proxima ante festum S. Georgii Martyris. Anno Domini 1401.

Lucius. Memorie di Traù pag. 397.

CXXVII.

Anno 1403. die 14. Augusti. Jadrae.

Vladislaus Rex privilegia, insulae Brachiae a prioribus regibus et principibus concessa, confirmat.

Vladislaus, Dei Gratia Hungariae, Jerusalem, Siciliae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Romaniae, Bulgariaeque Rex, Provinciae et Folcaquerii, ac Pedemontis Comes. Universis praesentes Litteras inspecturis, tam praesentibus quam futuris. Petitiones supplices nostrorum fidelium libenter admittimus, et cum expedit ad exauditiones gratiam perducere libenti animo procuramus, ut nostra benignitas magis clareat et ad rei gestae cautelam robur abundantior accedat. Sane pro parte Mixae de Petrullo et Michaelis da Baloe, Nuntiorum et Ambasciatorum, ad nos transmissorum pro parte Communitatis Universitatis et hominum Insulae Brachiae, nostrorum fidelium, fuit Majestati nostrae humiliter supplicatum: ut, cum antiqui Reges Hungariae, et praesertim bonae memoriae Rex Ludovicus, concesserint et fecerint eisdem Communitati, Universitati, et hominibus insulae Brachiae certa privilegia, libertates et gratias in favorem dictae Insulae, Statuta, Reformationes et Consuetudines, prout in Libris ipsorum Regum et dicti Ludovici plenius continetur; et subsequenter bonae memoriae Stephanus Tuarko, Rasciae, Bosnae et Maritimae Rex, tum dicta privilegia, gratias et libertates, ac Statuta, Reformationes et consuetudines per suas patentes litteras duxerit confirmandas, et addiderit atque concesserit potestatem et licentiam eligendi eis Comitem, cum confirmatione tamen Regiae Majestatis;